

pluribus figuris relationem habuerint, figuræ rectilinæ similes sunt. E. G. Si in charta delineentur ædificia duo profus similia, quorum partes singulæ eandem inter se proportionem habeant, a se invicem discerni non poterunt ædificia illa, nisi adhibeatur mensura extrinseca, quæ diversarum partium longitudinem exhibeat. Ex his autem contraria ratione intelligitur ea *dissimilia* esse, in quibus diversa sunt, per quæ a se invicem discerni debent, ac proinde *dissimilitudo* est diversitas eorum, per quæ entia a se invicem discerni debent.

ARTICULUS III.

De ente singulari, & universali.

I. **E**NS *omnimode determinatum* dicitur, in quo data sunt, seu determinata ea omnia, quibus determinatis, ponitur individuum. Ita descripto triangulo, determinatur numerus angulorum, species, & magnitudo linearum, nec non ratio eorundem. Si ergo triangulum sub hoc tantum respectu consideres, nihil in eo concipis, quod non sit *omnimode determinatum*. Ex hac definitione liquet quidquid existit esse *omnimode determinatum*. Quare cum entia singularia existant, evidens est ens singulare, seu individuum esse illud, quod *omnimode determinatum* est; contra vero ens *universale* est, quod *omnimode determinatum* non est, seu quod tantummodo continet determinationes in-